

ARTICULUS III.

Utrum justificatio impii sit maximum opus Dei?

I. Prima conclusio : Ex parte modi agendi maximum opus est opus creationis, quia est ex nihilo. Secunda conclusio : Ex parte rei factæ, maximum opus est opus justificationis, ratione cujus est participatio ; si quidem est participatio vitæ æternæ, et ipsius divinæ naturæ, consummate quidem in gloria, inchoate autem in via. Ubi S. Thomas non loquitur de gratia entitative considerata, et ut quædam qualitas est, sic enim quælibet substantia est perfectior ipsa, sed loquitur de gratia ratione sui ordinis, et participationis, sic enim est participative ipsa divina natura, et ipsa vita æterna : et ideo est maximum opus Dei, id est, maxima participatio Dei.

II. Tertia conclusio : In ratione doni gratuiti majus donum, id est, liberalius donum est justificatio impii, quam glorificatio justi.

III. Nota autem verba Cajetani in commentario hujus articuli, ubi inquit : « Tene ante oculos tuos die noctuque et semper, quod bonum gratiæ est melius quam bonum naturæ totius universi, ut continuo videas damnationem imminentem non æstimanti tantum bonum oblatum. »

ARTICULUS IV.

Utrum justificatio impii sit opus miraculosum?

I. Supponitur quod cum opus miraculosum sit illud quod excedit vires naturæ, ex triplici capite potest fieri iste excessus. Primo, ex parte

virtutis agentis : secundo, ex parte objecti suscipientis : tertio, ex parte modi agendi.

II. Prima conclusio : Si opus miraculosum consideretur ex parte virtutis agentis, sic omnia quæ divina virtute fieri possunt, dicuntur miraculosa, et sic justificatio dicitur miraculosa, id est, a sola divina virtute facta : sed hoc simpliciter non est miraculosum, sicut nec creatio rerum ex nihilo, quæ a solo Deo fit.

III. Secunda conclusio : Si consideretur miraculum ex parte subjecti, non est miraculosa justificatio, quia anima naturaliter est capax gratiæ : tunc autem dicitur hoc modo miraculosum quando forma inducitur supra potentiam naturalem subjecti, ut resuscitatio mortuorum.

IV. Tertia conclusio : Si consideretur miraculum ex parte modi agendi, scilicet quod fiat aliquid præter solitum, et consuetum ordinem rerum, sic justificatio aliquando est miraculosa, aliquando non. Quando enim modo ordinario justificatur homo ex motione divina, non est miraculosa conversio, sicut neque quando homo infirmus consueto modo sanatur. Si vero extraordinario modo moveatur homo ad justificationem, ut quando Paulus fuit conversus, sic justificatio fit, seu erit miraculosa, sicut si infirmus subito, et perfecte sanaretur.

V. Ut intelligas secundam conclusionem, in qua plures videntur suspicari, et confundere hunc secundum modum cum primo, vel tertio, nota quod D. Thomas non negat in anima solum esse potentiam obedientialem, et non naturalem ad gratiam ; et similiter in corpore esse naturalem potentiam ad animam, licet obedientialem ad resurrectionem : sed sensus ejus intelligitur accipiendi animam pro-

ut in statu elevationis ad gratiam, sicut modo res se habent : sic enim ratione hujus status est capax gratiæ naturaliter, id est, connaturaliter ad talem statum, licet simpliciter ratione naturæ anima solum habeat potentiam obedientialem ad gratiam. At vero corpus mortuum

etiam ratione status in quo invenitur modo, non habet connaturalem ordinem ad recipiendam animam in hac vita, licet materia prima secundum se habeat naturalem capacitatem ad animam, scilicet via generationis, non resurrectionis.